. 15 Oct 1863

Le Rescrit ci-dessous, du 15 Octobre dernier, qui arrive de Rome, tranche certaines difficultés, par rapport à la rétribution des Messes, quand il s'agit de biner.

+ Ig. Ev. de Montréal.

Illme ac Rme Domine

A Sacra Congregatione Christiano Nomini Propagando non semel per sacrorum Antistites in locis Missionum degentes quæsitum est, an duplex stipendium percipere liceat sacerdotibus, qui duas in eadem die missas celebrare justis de causis permittuntur. Ut igitur in ejusmodi re omnis dubitationi locus a Missionibus auferatur, visum est expedire eam promulgare regulam, quam constanter tenuit Sacra Congregatio Eminentissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum ; videlicet ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda missa, etiamsi de illis agatur qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima missa nequeunt obtinere, quod eam *pro populo* applicare teneantur. Porro hujusmodi regula recentem obtinuit confirmationem a SSmo D. N. Pio PP. IX. in una *Cameracensi* die 25. Septembris 1858.

Etsi vero Sacri Concilii mens ea sit, ut norma prædicta omnibus locorum Ordinariis innotescat, ac generatim servetur in praxi, quo videlicet a ministerio sacerdotali quodlibet periculum aut species simoniæ turpisve quæstus arceatur ; cum tamen specialia sint in nonnullis Missionibus rerum ac personarum adjuncta, cumque difficultates non paucæ oriri possent si regula de qua agitur nullam omnino exceptionem pateretur ; SSmus D. N. Papa benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis Missionum facultas impertiatur, quemadmodum per præsentes literas eisdem tribuitur, indulgendi ut, justa et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant.

Hæc jussu Sanctitatis Suæ significanda Tibi erant, ac Deum precor ut Te diutissime sospitet.

Datum Romæ ex Ædibus S. C. de Prop. Fide die 15. Octobris 1863.

Amplitudinis Tuæ

Ad officia paratissimus

AL. C. BARNABO, Præf.

H. Capalti Secrius.